



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

Estne Distincta Remissio culpæ à remissione pœnæ temporalis in hac
vita?

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

R E S P O N D E O. Nego minorem, quia restitutio non est satisfactio illa, quæ Canonica appellatur, quæ est opus non debitum Deo, & de qua monachi loquuntur, sed est opus debitum Deo, penitens ad contritionem & nouam obedientiam. Quia qui sciens retinet rem alienam, retinet animum furandi. Necesse est autem non perseverare in sceleribus contra conscientiam, iuxta dictum: Milita bonam militiam, retinens fidem & bonam conscientiam.

Q U I D N O M I N A N T C A N O N I C A M S a t i s f a c t i o n e m ?

N O M I N A N T opus indebitum, id est, non mandatum à Deo, quo fingunt compensari pœnas æternas seu purgatorij. In hoc deliramento magnum chaos est errorum, quod totum euidenter refutat hoc uno dicto: Frustra colunt me mandatis hominum.

E S T N E D I S T I N C T A R E M I S S I O
culpæ à remissione pœnæ æternæ?

R E S P O N D E O. Nequaquam distincta est. Ac remissio culpæ prorsus eadem est, quæ est remissio pœnæ æternæ, iuxta dictum: Iustificari fide pacem habemus. Item: Iustus fide sua uiuet. Item: Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret pro mundo, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Nam æterna pœna est sensus iræ Dei. Remissa autem culpa fit reconciliatio, & filius Dei voce Euangelij consolatur cor, & retrahit eum a doloribus inferorum, de quibus dicit Ezechias: Sicut leo contriuit omnia ossa mea. Et sequitur: Tu autem eruisi animam meam, ne periret: Projeci post tergum tuum omnia peccata mea. Item Michæas: Projiciam peccata uestra in profundum mare. Item: Effundam super domum David Spiritum gratiæ & precum. Item, totum caput octauum ad Romanos idem dicit. Certissimum est igitur, semper simul fieri fide propter filium Dei, & per eum, remissionem culpæ & pœnæ æternæ. Hoc scire ad consolationem necessarium est.

E S T N E D I S T I N C T A R E M I S S I O
culpæ à remissione pœnæ temporalis
in hac vita?

R E S P O N D E O. Est distincta. Ut: Adam, David, accipiunt remissionem culpæ, & tamen simul subiiciuntur pœnis in hac uita, quæ tamen nequaquam sunt compensationes aut merita pro pœna æterna, ut inulse & impie sixerunt monachi, sed habent pœnas alias causas. Et hic tota doctrina de causis humanarum calamitatum consideranda est, quæ in sola Ecclesia diuinitus patefacta est, & cognita est sapientiæ humanæ & Philosophiæ. Philosophi dicunt, causas mortis & morborum esse materiam. Deinde multarum calamitatum causas

causas esse errores iudicij in mentibus hominum, in ordinatos affectus, & voluntates non obtemperantes recto iudicio. Etsi autem verum est, has esse causas propinquas, tamen rursus quaeritur de principali causa, vnde sit in materia, mente & voluntatibus tanta infirmitas & confusio? Hæc principalis causa primis parentibus statim nota fuit. Postea vero Deus semper in Ecclesia doctrinam de ea causa repeti voluit. Sunt autem hæc causæ. **PRIMA** communis toti generi humano. Propter peccatum primorum parentum & peccatum nobiscum nascens, omnes homines sunt subiecti morti, tyrannidi Diaboli, & communibus calamitatibus, iuxta dicta, Genesis 3. & Rom. 5. Per peccatum mors. Item Ephes. 2. ait Paulus, Diabolum efficacem esse in impijs, vt horribilis historia totius mundi ostendit, cædes facta à Cain, & deinceps idolomania, bella & incesta libidines.

DEINDE de Ecclesia hæc causæ sunt.

1. Prima communis, propter peccatum nobiscum nascens. 11. Secunda, Quia Diabolus præcipue insidiatur Ecclesie, iuxta dictum: Inimicitias ponam inter semen mulieris & serpentem. Item: Diabolus circumit tanquam leo rugiens. Et in Iob est: Diabolus est inter filios Dei, &c. 111. Tertia, Quia Deus præcipue in Ecclesia vult intelligi iram suam aduersus peccata, & crescere poenitentiam, lucem fidei, & inuocationem, & reprimi prauas inclinationes, iuxta dictum: Bonum mihi quod humiliasti me, vt discerem iustificationes tuas. Item: Cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. Esaiæ 26. Angustia clamoris disciplina eis est. 1111. Quarta, Multi in Ecclesia habent etiam actualia delicta, quæ puniuntur singularibus poenis, quæ interdum sunt *exco-
municatio*, ut totæ gentes puniantur, vt, Dauidis adulterium, stuprum in Benjamin, idololatria Aaronis, Manasse & aliorum. De his dicitur: Iram Domini portabo, quia peccaui ei: Et tamen cum sedebo in tenebris, Dominus erit lux mea. Item: Cum iudicamur, à Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur. 11111. Quinta, Vult Deus præcipua membra Ecclesie conspicere insigniter conformia imaginis filij Dei, & eorum necesse testimonia esse de doctrina & de summo iudicio. Vt quia sinit interfici Paulum à Nerone, significat restare aliud iudicium. 111111. Sexta, Sinit Deus accidere sanctis inextricabilia humano consilio, ut ostendat præsentiam suam in Ecclesia. Numeri 14. Vt sciant, quod sis in populo isto. 1. Reg. 14. Vt sciat omnis terra, quod sit Deus in Israël. Et Ieremias inquit: Misericordiam Domini quod non consumti sumus, &c. **HÆ** causæ in conspectu habere necesse est, ad discernendam doctrinam Philosophicam item superstitiones, & doctrinam Ecclesie, & ad confirmandam fidem, obedientiam in calamitatibus, spem, inuocationem,

peccationem & expectationem liberationis aut mitigationis, sece-
 ipsa differunt ab exercitijs Ethnicis castigationes Ecclesie, de quibus
 dicitur: Non accendam totam iram meam. Itē in Abacuc: In ira me-
 fericordiā recordabitur. Item: Non faciam furorem irę mee. Item:
 Domine ne in furore tuo arguas me. Item: Libera me de sanguinibus
 Deus Deus salutis meę. Item: Castigans, castigavit me, & mortis non
 tradidit me: Non moriar, sed viam, & prædicabo opera Domini.
 Item: Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos. Inuoca me in
 die tribulationis, & eripiam te, & glorificabis me. Item: Si indica-
 remus nos ipsos, non iudicaremur a Domino, &c. Hæc autem ca-
 lamitatum considerandę sunt, & simul conferendę consolationes, &
 accendendę sunt mentes, vt crescant poenitentia, fides, spes, iusticia,
 & ceterę virtutes. Hæc calamitates communes aut singu-
 lares, quibus Deus nos castigat, nequaquam sunt satisfactiones, sed
 est, merita remissionis culpę aut pœnæ æternę, aut Purgatorijs, sed
 habent alias causas, videlicet, aut ut sint exercitia, vt carcer Ioseph,
 vt in tertia causā supra dictum est, aut ut sint *reparatiua*, vt pœna Dae-
 didis, vt in quarta causā diximus, quia vult Deus conspici exempla ius-
 titiæ suę in pœnis homicidarum, etiam si conuertuntur ad Deum.
 Aut sint *penitentia*, vt Prophetarum supplicia, Abel, Iohannis Bap-
 tistę, Esaię, & aliorum.

ARGUMENTVM.

Dauidi post remissionem culpę imposita est pœna,

Ergo satisfactiones ad remissionem culpę accedere debent.

RESPONDEO. Nego consequentiam, quia aliud est pœna
 temporalis diuinitus imposita, aliud satisfactio, & longe aliud satis-
 factio ab hominibus excogitata. Et si autem sæpe sequuntur pœnæ
 temporales atrociora delicta, quia vult Deus intelligi, se esse, & iustum
 esse, & vindicem, ac destruere non congruentes ad suam iusticiam:
 tamen has ipsas mitigat agentibus poenitentiam, nec puniunt omnia de-
 licta talibus pœnis temporalibus. Ideo inquit: Non accendam totam
 iram meam, &c. PRAETerea hæc pœnæ temporales diuini-
 tus impositę non tolluntur potestate clauium, ideo nihil huc perti-
 nent commentitię satisfactiones, quę nominantur Canonice. Ac ut
 discrimina afflictionum melius intelligi possint, genera distinguan-
 tur iuxta causas finales. Sunt autem hæc quatuor genera.

I. Omnes afflictiones aut sunt *reparatiua*, id est, pœnæ, ut pœna Da-
 uidis, id est, destructio propter scelus. II. Aut sunt *decuratiua*, ut
 carcer Ioseph, quia Ioseph non meruit peccato aliquo actuali, vt in
 male tractetur. III. Aut sunt *penitentia*, vt supplicia Abel, Bap-
 tistę, Ieremias, Esaię, & aliorum, sunt testimonia de doctrina. IIII.
 Aut *reparatiua*, vt solus Christi meritum.